

Quæ de vinorum vi inebriandi, infinitaque de natura Ignis alia dixi, non adeo necessarium est recensere omnia: est liber meus in manibus omnium, qui volet, conferat illum cum istis Barneri supra traditis, & si vel maximè inimicus causæ meæ fuerit; incredibilem tamen hominis arrogantiam & impudentiam fatebitur.

Prævidit hæc quoque *Elbingsis noster*, ( magna enim vis conscientia est, quam qui negligunt, cum alios violare volunt, se ipsos judicant ) quare ex sermone saltem suo cum coenaremus hæc arrepta esse suspicatur. *Lampadi* enim *adhæsit ærugo*, quam ex olei aciditate profectam sub fide silentii docuit. O lepidum caput! *Heraclito* profecto risum, & *Democrito* lachrymas extorqueres. Dixeris hæc, quod nec nego nec affirmo, an igitur alii mensæ assidentes, taciti etiam hoc nesciverunt, quod expressis verbis jam dudum docuerat Dn. Tachenius diversis in locis?

Salia Alcalifata, formaliter ante calcinationem in vegetabilibus non præ-  
existe-